



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim**

**Innozenz <III., Papst>**

**Parisiis, 1682**

Episcopo S. Andreae.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20006**

tiqua moneta, quæ ab illo statu falsata non fuerat, cum ea pariter expendatur. per quod & dispendium vitari poterit, & juramentum servari. Veruntamen si forte monetam ipsam in præstatione juramenti credebas à legitimo pondere diminutam, & tua super hoc conscientia te remordet, venerabili fratri nostro Episcopo Cæsaraugustanensi, cui super hoc scribimus, tuum humiliter confitere reatum, & satisfactionem, quam indixerit tibi pro illicito juramento, devotè suscipias & studeas adimplere. Datum Laterani Nonis Aprilis.

*Scriptum est super hoc Cæsaraugustan. Episcopo.*

EPISCOPO S. ANDRÆ.

Sicut nobis tua fraternitas indicavit, peregrini quidam ab Urbis partibus redeunt, sub apostolica Bulla literas sæpe reportant ad iudices delegatos, pro quorum imperitia, in regno Scotorum multa nonnunquam proveniunt detrimenta, præsertim cum literæ taliter impetratæ, manifestam falsitatis suspensionem prædant, & illa sæpe contineant quæ nulli consuevit sedes apostolica indulgere. Nos ergo nolentes ut maleficia remaneant impunita, fraternitati tuæ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatenus si ad manus tuas hujusmodi scripta quandoque pervenerint, auctores eorum prudenter investigare labores, & inventos tamdiu facias in custodia detineri, nisi propter fidei iuramentum vel aliam securitatem idoneam ipsos fidei propriæ duxeris committendos, donec & literas ipsas nobis transmittas, & quod de ipsarum auctoribus & illis qui eis scienter usi fuerint efficere debeas, per responsum nostrum valeas edoceri: provisurus attentius, ne hujus occasione mandati præter culpam suam aliqui graventur injustè. Datum Laterani V. Idus Martij.

DE CELLA S. PETRI  
& \* Mitren. Abbatibus, & Præposito  
\* Verden.

Cum inter dilectum filium R. seniore & R. juniorem super abbacia Scaffusen. quæstio verteretur, eis in nostra præsentia constitutis dilectos filios G. sanctorum Cosmæ & Damiani & G. sanctæ Mariæ in Aquiro Diaconos Car-

dinales dedimus auditores. In quorum præsentia pro R. seniore fuerunt proposita quæ sequuntur. Quòd cum H. quondam Abbas ipsius cœnobij onus regiminis invito Capitulo suo spontaneè resignasset, & ab obedientia sua monachos absolvisset, ipsi prædictum R. seniore, etiam dicto H. consentiente, sibi que obediente cum aliis, in Abbatem unanimiter elegerunt. Postea verò electus diocesano Episcopo præsentatus, munus ab eo benedictionis accepit, Ecclesiam ipsam per biennium & amplius, sicut Abbas proprius, administrans. Verum quoniam moniales sanctæ Agnetis ejusdem villæ, quæ peccandi materiam junioribus monachis ministrabant, ætiori custodiae mancipavit, exinde occasione inventa, juvenes monachi contra ipsum alios concitarunt, tanquam prædicti H. resignatio minus canonice extitisset. Quòd audiens Episcopus antedictus, ad locum accessit, causam dissensionis requirens, & prædictum H. paternè redarguens, tanquam odij fomitem in Ecclesia seminasset, accepit ab eo quòd per ipsum talia non fiebant. Et cum quidam de monachis, ipso Episcopo præsentate, se dicerent ab obedientia præfati H. nullatenus absolutos, idem H. quòd eos absolverat est professus. Et ut omnem à se suspensionis materiam amoveret, cum jurejurando vehementer asseruit coram Episcopo antedicto quòd neque illam nec aliam habere vellet ulterius abbatiam. Monachi verò post recessum Episcopi ad artes solitas nihilominus recurrentes, coram dicto Episcopo & Capitulo Constantien. adversus eundem R. controversiam agitarunt, tanquam minus canonicè dictus H. dimiserit abbatiam. Cumque dictus R. paratus esset de justitia sua in continenti probare, monachi defectum causæ suæ videntes, in nullo gravati, sedem apostolicam appellarunt, & per literas infra terminum appellationis per subreptionem obtentas, contra ipsum R. per nuntios appellantes iniqua sententia promulgata, ejus fuit adversarius restitutus. Ipse verò R. appellationem interpositam per nuntium prosequens, & termino constituto commissionis literas ad certos iudices impetravit: ut quòd occasione prioris commissionis contra eum judicatum fuerat, ad statum debitum revocato, & ei restituerent abbatiam,

Epist. 19.  
De pœna falsariorum.

\* in Termina Col. l. N. v. r. n. n.  
\* in Termina Col. l. V. r. e. l. l. n. s.  
Epist. 30.  
Electio Scaffusen. Abbatibus ipsi committitur examinanda.  
Cap. Cum inter dilectum, De r. l. n.